
† Fr. I. prof. Caietanus (Ioannes Graebe) (1867-1950)

(Prov. S. Lud.)

In persona Fr. Caietani Provincia S. Ludovici amisit verum thesaurum. Origine erat Germanus, natus 16 Ian. 1867 in Steinheim, quod est parvum oppidum, et catholicum quidem, Westfaliae, archidioecesis Paderbornensis. Universa eius familia emigravit, nescimus, quo anno, sed probabiliter tempore illius depressionis oeconomicae, quae bellum 1870-71 secuta est. Quanta emigrandi et immigrandi libertas — hodie plane ignota

¹ Nunc est sedes studentatus. *Analecta* XXI (1949), 99 s.

— tunc temporis vigebat! Paterfamilias Graebe quidem primum statuerat cum suis in Brasiliam ire, sed Antverpiae consilium mutavit et navem ascendit in Septentrionalem Americam euntem, « ut magnos Americae Meridionalis calores evitaret »!

Sic factum est ut familia Graebe Chicagiae sedem figeret, ubi nostri inde ex a. 1860 catholicorum Germanorum curam habent¹, et sic postea in Ioanne nata est vocatio ad Institutum nostrum. Sacrum habitum induit 17 Ian. 1893 in Kirkwood, tunc nuncupato Windsor Springs; verum iam Martio eiusdem anni remittitur Chicagiam in domum S. Michaëlis, Novembri S. Ludovicum, Septembri insequenti Grandormium, et post septem menses iterum S. Ludovicum. Tunc vero dicere potuit cum Psalmista: *Haec requies mea; hic habitabo*; nam per 52 annos continuos officium sacristae ibi in magna S. Alfonsi aede, vulgo *Rock Church*, exercitaturus erat, et ita quidem, ut boni sacristae exemplar evaderet. Solus Deus et Deipara, in hoc templo ut Perpetui Succursus Mater adeo venerata, accurate nobis dicere possent, quot virtutis actus hic sacrista pius, comis, constans diuturno illo temporis spatio perfecerat, quot pueros — inter quos haud unus postea eius Superior factus est — dignum altaris servitium docuerit, quot vocationes religiosas et sacerdotales verbo et exemplo suo excitaverit...

Verum paulatim anni et variae infirmitates vires Fr. Caietani exhausserant; quare suadente medico 24 Oct. 1947 transeftur in quietam communitatem domus novitiatus De Soto, indeque paulo ante finem, quo meliorem curam reciperet, in nosocomium S. Ludovici dictum « Firmin Des Loges ». Ibi quoque pius senex 83 annorum omnibus aedificationi erat, velut cum audiebatur sua lingua vernacula easdem preces recitare, quas olim a pia matre didicerat.

Iustorum morte in pace exspiravit sabbato ante festum B.M.V. de Perp. Succ., 17 Iun. 1950, eadem hora 4^a matutina, qua per tot annos lecto surrexerat pro servitio sui Sanctuarii Marialis. Ibidem insequenti fer. IV exsequiae huius eximii sacristae digne celebratae sunt et postea corpus depositum in Kirkwood in nostro caemeterio. R.I.P.

BRINGAZI-HENZE

¹ Cfr. J. F. BYRNE, *The Redemptorist Centenaries*, p. 114-18; T. L. SKINNER, *The Redemptorists in the West*, p. 65 ss.